



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-542779-p0001-9

DFG





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-542779-p0003-0

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-542779-p0004-6

DFG

1679.

1. Scheffer, Georgius : *De errore calculi*. et p. mille.  
*C. de errore calculi.*

1680.

1. Herkias, Iohann Nicolaus : *De commenda life.*  
2. arum.
- 2 Meyer, Iohannes Concessus : *De jure circa cedavera  
panorum ad h. 27 ab. XLIX. pg.*

1681.

1. Vieffas, Iohann Porcius : *De nuce moschata*
2. Gerling Iohannes Georgius : *De misere prulicium*.
- 3<sup>rd</sup> Herkias, Ioh. Nicolaus : *De fendo nobili*.  
? Suerth.
4. Herus, J. W. Helius : *De fendo imperii*
5. Mollenbecker, Bonaventus Ludovicus : *De antidotali  
donatione*
6. Kitzschier, Fridericus : *De publicae utilitatis  
praerogativis*

1682.

1. Melchior, Johanna Philippus: *De concurrens iuris dictionibus*.
2. Mollenbecker, Bernhard Ludovicus: *Ex iure collecta paradoxum*.  
5.
3. Mollenbecker, Bernhard Ludovicus: *De genio principis et veteri per hunc iurandi more occasione p. 13: 6. Op. fin. H. de jure iuris.*

4. Mollenbecker, Bernhard Ludovicus: *De Augusta, R. manorum impetratrice.*

5. Nitzschius, Friedericus: *De curatore bonorum abs. his seu beneficio p. 3 C. de postlim. Revers.*

1683.

1. Hart, Johanna Helpricus: *De canticis contractuum*
2. Lueras, Johann Melchior: *De dannis farmae declinando et reparando.*

1683

3. Rosenbrach Hipp : *De conclusione cause.*

4. Schatz, David Mather : *De jure pseudorum.*

5. Thelen, Nicolaus : *De ultimorum voluntatum  
inductionibus.*

13. 6. Thelen, Nicolaus : *De personarum miseratione  
foro competenti.*

P.

b.m.

9



4455. 832.  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO  
DE 1681, 3<sup>a</sup>  
FEUDO NOBILI,

Bon  
Ritter Læhent  
Quam,  
P RÆ S I D E  
JOH. NICOLAO HERTIO,  
J. U. Licent.

JOHANNES FRIDERICUS  
de BOBENHAUSEN,  
Nob. Hass.

Publico eruditorum examini,  
Ad diem Iunii subjicit.

---

GISSÆ HASSORUM,  
LITERIS ACADEMICIS KARGERIANIS.  
Anno cœl. lxxxii.

No. 60

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO,  
DOMINO  
**HENRICO**  
**LUDOVICO**  
DE BOBENHAUSEN,  
SUPREMO IN AULA HASSO-  
DARMSTADINA DOMESTICÆ REI ET  
VENATIONIBUS PRÆFECTO, PATRUO ET TUTORI  
SUO FILIALI OBSEQUIO ET REVE-  
RENTIA COLENDO,

*HOC QVALECVNQVE EXERCITII ACADEMICI  
SPECIMEN*

*Dicit & consecrat*

*Devotissimus*

*JOH FRIDERICUS de BOBENHAUSEN.*

( 1 )



J. J.  
DE FEUDO NOBILI  
SECTIO PRIMA,

DE

NOBILITATE PHILOSOPHICE  
CONSIDERATA.

- §. I. *Prologus & instituti ratio.*  
§. II. *Philosophica nobilitatis definitio.*  
§. III. & IV. *Refutantur definitiones, quae à nativitate vel divitiis nobilitatem repetunt.*

§. I.

**D**efinitiones de feudo nobili intricas, obscuras, nonnunquam & lubricas esse, nemo temere negaverit, qui J<sup>C</sup>torum de feudis scripta obiter

A

ter

¶ 2 ¶

ter introspexit. Causa hujus rei præcipua mihi visa est, quod nobilitatis genium non rectè intellexerunt, nec quæ distinguenda erant separaverunt. Quamobrem, ut disputatione illâ defungamur expeditius, nobilitatis natura nobis pressius indaganda, & penitus eruenda est; idque triplici consideratione, philosophicâ, Civili & Germanicâ; quâ absolu-  
tâ, de censu facto, facile quid seudum nobile sit intelli-  
getur.

§. II.

Philosophicè consideratur nobilitas, quando mente concipitur, & quasi à materiâ abstrahitur. Igitur cum noble præstans aliquid & eximium notet: *nam nobilissimum quod optimum*, ait Vellejus Paterculus, \* nobilis utique erit, qui re aliquâ præcellit. Enimvero, cum homines variè dissentiant in opinione præstantiæ, alii quippe nudam virtutem, alii divitias, alii honorem unice æstimant, explosis autem his sententiis, felicitas humana verè collocetur in exercitio omnigenæ virtutis cum rerum sufficientiâ conjunctâ, nobilis plenissimè erit, qui opinione virtutis, rerum ad vitam utilium sufficientiâ comitata, alios exsuperat.

\* Vellej. Pat. I, 128, 1.

§. III.

Neutquam igitur in hunc censum venit nativitatis splendor: nam in aperto est, natales nobiles hautquidquam per se tribuere præstantius temperamentum corporis, ut ut sæpe bonitas alimentorum huc faciat; aut præstantiorem animum, eximiamque vim ingenii: sed plebejis ex natibus æquè feliciter hæc posse provenire. Nec alio ordine in producendis nobilibus quam plebejis natura procedit. Sed & pari sanctimoniam plebeiorum quam nobilium matrimonia coluntur aut coli possunt. Nec facile quis præstiterit,

minus

minus frequenter auratos thoros ab adulteris persultari, quam modicas spondas. Adeo ut si vel maximè virtus parentum in prolem semper transfunderetur; multis tamen difficultum sit probatu abs primâ stirpis origine intaminatum, & citra alieni mixturam sanguinem ad sese dimissum. Sed nec illud vulgatum: *fortes creantur fortibus & bonis*, adeo citra exceptionem est, quin in contrarium æquè invaluerit, *herorum filii noxe*. Sicut hactenus Pufendorfius (1) disseruit. Cui non possum non addere insignem Juliani (2) dissertationem de illis qui Diis Jove, Apolline, &c. se natos gloriantur. Καὶ ὅτῳ μὲν αὐτῶν αἱρέσθαι πάτέρες οὐ τὸς ἐκείνοις ἐμφερῆς, τοῖς δὲ ὀνομαζόμενοι θαρρέστως εὐχεντοί. οἵτῳ δὲ τῷ μὲν τῶν πατέρων φύρξεν δρεπτῆς ἀδεῖς, αὐτὸς μεταποιήσῃ τῶν κλημάτων. Τούτῳ δὲ νομίσεον πατέρα τὸν Δία ή Φυτεγόν. ή γέδε μετον αὐτῷ δοτέον ἐκείνους, οἱ γεννότες πατέρους αἱρέσθαι τὰς σφῶν τοκέας ἐγίλασται. Οὐσιοί δὲ εἰς αἱρέσθαι μοχημὸς τῶν τοῖς νόμοις ἐγγεγραῖται αὖτον. Τοὺς δὲ ἐκ μοχημῶν φύτας ή πεποιηθεὶς τοῖς τοκεῦσι ψποτε εὐχερεῖς φατέον. Υπὲ έι πλατώτερον πλάνταις μνεῖον, γέδε ή πλευροῦ τοῦ περιγόντος δυνασταίς &c. Adeoque quinque praelatos parentes sorellus fuerit, & horum ipse similis fuerit, hunc audacter nobilem esse pronunciemus. Quisquis vero parentes habuit minimè virtute præditos, quorum ipse possessionem sibi vidicaverit, ejus parentem & authorem generis humani juvem esse existimandum est; nec ei minus quam iis deferendum, qui, cum parentibus bonis nati essent, illorum virtutem imitati sunt. Sed qui malus & depravatus à bonis oreum accepit, hic inter illegitimos seu spurios habendus est. Nec qui ex pravis orti illorum similes sunt, eos nunquam nobiles appellare debemus, tametsi decem millia talentorum in bonis habeant, aue majorum suarum

(1) Pufendorf. IIX. de Iur. Nat. &amp; Gent. c. 4. §. 28.

(2) Julian, Orat. II. de Const. Imper. Gest.

¶ 4 ¶

quam plurimos percenscant, aut certè Tyrannos viginti.<sup>1</sup> Ego.  
conf. Phalarid. in epist.

§. IV.

Neque divitiæ solæ & per se satis aptæ sunt, ut præstantem efficiant: Sanè in summis divitiis etiam miseriæ locum esse posse, in fabulis Midas adumbravit *divesque miserq;*: \* neque raro divitiæ, dum unam hominis partem nempe corpus nimis molliter fovent, alteram præstantissimam i. e. animum suffocant: unde luxus, malum specie levius, sed unde omnibus populis omnium fere calamitatum oritur initium.

\* Ovidius L. XI. Metamorph.



SECTIO SECUNDA

DE

NOBILITATE CIVILI & INPRI-  
MIS EUROPAEA.

§. I. Nobilitatis Civilis catholica definitio non potest tradi.

§. II. Variam esse nobilitatis rationem demonstratur, sed Europa definitur.

§. III. Illamq; rationibus politicis congrueret ostenditur.

§. I. Hec

K 5. 25

§. I.

**H**æc consideratio nunc sufficiat. Nobilitatis civilis generalem & in omni rep. valitutam descriptionem afferri non posse, tradunt eximii scriptores, Paulus Castrensis, Fridericus Sandeus, \* Bodinus, \*\* alii.

\* Castrensem & Sand. allegat. D. Frider. Rhet. ad I. feud. I.

pag. 71.

\*\* Bodinus III. de rep. 8.

§. II.

Neque illi male existimasse videntur: cum enim civitates à fine multifariam differant, non potuit una eademque esse existimatio civium. Sunt qui ordini nobilium annumeraverunt omnes, qui ab artibus manuariis abstinentes belli operibus vacarent, quod de Ægyptiis, Lydis, Persis, Scythis, aliisque Barbaris nationibus tradit Herodotus (1.) Sunt qui divitiis dignationem addunt. Ut Tartari Precopenes his, qui plures captivos, cum moriuntur, possident. quod Thuanus (2.) refert. Maxime vero antiquum est, natalibus tribuere dignationem, & præcipue à multis seculis in Europâ obtinuit. Hinc nobilitas Aristoteli (3.) est dignitas majorum. Quod etiam ad maternum sanguinem in nonnullis locis cœgit produci. Virgilius XI. e. Eneidos de France:

Genus huic materna superbum

Nobilitas dabant, incertum de patre ferebat.

Quod multorum populorum institutis confirmat Dionys. Gothafredus (4.) Ut proinde nobilis Europæus definiri possit:

A 3.

C. 3.

(1.) Herodot. l. II. Hist.

(2.) Thuan. L. LXVII. Histor.

(3.) Aristot. II. Rhetor. 16. conf. IV. Polit. 8.


(4.) D. Gothofred ad L. I. D. ad Municipal. conf. Seld. III. de Synedr. c. 9.

*Cui præcellentia aliqua à Civitate est tributa , quam in sebole transfundere posse.*

§. III.

Bicer autem nobilitas Philosophica cœteris videatur præferenda, post hanc tamen Europæam ad civitatis fortunatæ seu optimæ conditionem proprius accedere, facile ostendi potest. Est sanè inter illius instituta ut civium originariorum præcipue habeatur ratio. Præclarè Isocrates in sociali. Καὶ τοι ἡδὲ πόλιν μὴ εὐδαιμονίζειν, μὴ τὴν ἐξ απάντων αἰθρώπων εἰκῇ πόλες πολιῆς αἰθροῦσσιν, αὐλαὶ τὴν τὸ γένερον τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ πόλιν αἰκησάντων μᾶλλον τὰν αὐλαν διατύγειν. Ea demum, inquit, civitas felix est habenda, non quæ è promiscuâ hominum colluvie multos cives temerè colligit, sed quæ antiquissimas & primas familias maximè conservat. \* Habent autem hujusmodi familiz plerumque magnas & florentes necessitudines, opibus, quas maiores collegerunt, abundant, domesticis exemplis generosaque majorum famâ & dedecoris metu ad virtutes acris instigantur. Unde magna in civitatem commoda derivari possunt, nam minus his invidetur, & officiis civilibus præfести facile amorem & reverentiam sibi conciliant; quippe nati & facti ad talia creduntur.

\* adde Luccen: L. II. Antiq. Sueco Gothic. c. 10.



SECTIO TERTIA  
DE  
NOBILITATE GERMANICA.

§. I. Nobilitas Germanica institutum est civitatis virtutem bellicam profine habentis.

§. II.

§. II. Ludolphi Hugonis sententia com-  
mendatur, & ostenditur nobilita-  
tem Germ. fuisse.

§. III. Gentilitiam.

§. IV. Bonis & pradiis pricipue feudalibus  
donatam.

§. V. Militia, in primis equestri, deditam.

§. VI Honoribus cultam, ubi de equitibus  
auratis Germ. Ritter.

§. VII. Seminarium pricipuarum digna-  
tionum.

§. VIII. Definitio nobilis Germani.

§. I.

**N**on ordiemur altius à veterum Germano-  
rum nobilibus. de quibus Tacitus & alii consu-  
lantur. Francorum & Saxonum recentiora no-  
mina ad nostram ætatem propius pertinent. Hi  
cum more Germanorum, quos armorum cupidos armisq; in-  
natos & innutrios, Seneca (\*) dixit, in bellicæ virtutis usu  
ac gloria veluti palmarum ponerent, temp. ad militiam  
aptandam, & præcipuis honoribus virtutem militarem affi-  
ciendam esse judicarunt.

(\*) Seneca I. de irâ c. 34. conf. Tacit. de morib. Germ. c. 14.

§. II. Nostra

282

§. II.

Nostra igitur nobilitas, ait doctiss. Ludolph. Hugo, \* tam superioris quam inferioris gradus dignitas militaris est: nam quo perpetuo milite quasi praesidiario instructum esset Imperium, ratio inventa est, quae eos qui virtute bellicâ praestabant, cum omni posteritate militiae addicerent & quasi consererant, certis quibusdam bonis, solenni cæremoniâ illis assignatis, hac lege ut ipsi eorumque posteri masculi iis fruantur quidem, sed vicissim ad militiam subeundam, cum usus forer, parati essent. Hoc antiquum feudorum institutum est, licet sequens ætas multa in iis mutaverit. Quæ ut verissima sunt, ita commentatio illustrare conabimur.

\* Hugo de Stat. Reg. Germ.e. IV. §. 22. adde Rhetium d. l.

§. III.

Nobilitatem igitur Germanicam gentis esse beneficium, quod in posteros longâ serie explicari queat, ipsa vox Edel vel Adel, si alia testimonia deessent, indicat. Nam Odæl vel Odul vel Adhel priscis proprium, avitum, vel antiquum significavit, quod ex Odostrido, antiquissimo scriptore Germanico, Veterum Britannorum, Suecorum, imò Norvegorum documentis diligenter annotavit Johannes Loccen. in Lexico Sæco-Gothic. voce Odæliord.

§. IV.

Cum vero magna etiam præstantia suis non circumdata præsidii facile evilescat, placuit à longis temporibus, & rata ferme Europâ Germanis autoribus sensim invaluit, ut bona, nobilibus in primis, sub feudi titulo assignarentur. Unde prope inducor ut credam, vocabulum vasalli, tot originationibus Jctorum & simul Criticorum insigne, à voce Best (quod firmum

¶ 9 ¶

firmum & stabile significat ) & Adel vel Edel descendere, ut perinde sit ac nobilis investitus: nisi magis placeat D. Loccenii (1) opinio, qui non invito vocis sensu ductuque à Gothicō Wāsell / i. e. obnoxius, à quo non abludit Germanicum Wēse Wāise / i. e. orphanus seu pupillus, derivavit: nollem enim conjecturam nostram cuiquam vel laudare vel obtrudere. Quam tamen non parum juvat, quod titulus olim splendidus, Vessi eandem ob causam nobilibus tributus credatur (2) Illud fidientius ausim asserere ; à bonis , seu agris nobilitati annexis cognomina nobilium duci cepisse; cum olim more Græcorum patris nomen proprio subjiceretur, aut ex eventu aliquo notave corporis aut animi vocabula affingerentur. Cujus rei regia illa cognomenta Crassi, Calvi, Balbi, & aliorum, indicio esse possunt. Vix tamen ostendi potest, quando & quo auctore hic mos ceperit. (3) serò sanè in Galliâ, & Angliâ, sciuus in Scotiâ receptum fuisse Buchananus (4) observavit.

(1) Loccen Lexico feudal. voce investiturâ.

(2) V. Heigius 1. quæst. 2. num 82. add. Lehmann. l. 7. c. 47.

(3) D. Clotz, de titul. honorific. c. 9. §. 2.

(4) Buchanan. l. VII. Rer. Scotic. p. 116.

§. V.

Talibus autem sœpè amplis bonis auctorati nobiles potissimum robur Germanicæ militiæ fuerunt. Ad Francorum imperium non ascendam. Otto Frisingensis (1) refert , in exercitu Henrici IV. Imper. contra Saxones moventis, præter Duces & Comites, innumerabiles fuisse nobiles. Colmarrienses annales velut memorabile consignant, anno supra millesimum ducentesimum octuagesimo primo Argentorati multos ignobiles militiæ se addixisse. Lehmannus (2) ubi retulit Civitates Imperiales multos opifices & plebejos circa tempora Rudolphi Regis sub signis habuisse, id contra Teutonum morem factum fuisse observat. Ut non male forsitan suo tem-

B pore

pore observaverit Noldenus, (3) ante ducentos annos solos nobiles in Germaniâ & Italiâ meruisse.

(1) Frisingensis I. de Reb. Gest. Frideric. c. 6.

(2) Lehmann. I. V. c. 112. ubi annales Colmarienses citat.

(3) Nolden nobilit. S. 27.

## §. VI.

Ut verò nobiles, alacrius ad virtutem grassarentur, aliud illis decus additum est; nempe bellicis factis insignes equestri ornabantur honore. Is quomodo olim collatus fuerit, juvabit audire Nicolaum Burgundum (1), qui, postquam memoraverat Fridericum Archiducem edici jussisse, si quis in equestrum ordinem recipi vellet, sub vesperam se in prætorium conferret, addit: *Is honor olim inter Proceres habebatur eximius, quem Regum quoq; Principumq; liberi expectare jubebantur in justam etatem. Insignia dignitatis erant auratus ensis, aurata calcaria, cum paludamento: Hunc enim cultum bona leges seu majorum mores in coeteris nobilibus plebejisq; proscripterant. Inde dicti aurati equites, quos Galli, Itali, Hispani, eodem proponendum verbo, à Caballis cavalleros appellant. Germani autem s̄ Belga Ridderos sive Ritteros, à Ridden vel Ryden, quod patro idiomate equitare significat: equis enim merebant crurum tenuis cataphracti. Ornamenta ordinis in funebrem pompam prælata defunctos, ad sepulcrum comitabantur; qua deinceps suspensa ad proximum tumulo parietem memoriam relinquebant extincta dignitatis. Paludamentum a. cottam armorum (cotte d' armes) vulgus appellat, in quo gentilitia insignia ex omni lacere eminebant, suis coloribus distincta, ut cataphracti noscerentur in prælio, luctari s̄ increpari possent: prout cuiusq; facinora exigerent. Cœterum hanc dignitatem solus conferebat Imper. Vices tamen suas aliis mandare interdum consueverat, qui peragerent solennitatem altius, submissosq; in genua atque evaginato ense leviter verbatos in ordinem recipiebant. Sanè cum Anno M. C. LXXXIII. Imperator celeberrimam haberet Curiam Moguntiæ. Ibi Rex Henricus filius ejus miles factus est in maximâ gloriâ & hono-*

re.

re. Verba sunt Albert. Stadens. ad d. A. Similiter Wilhelmus Hollandiae Comes ante coronationem in equitum numerum solenni ritu cooptatus fuit, cum antea duntaxat scutifer esset. De Regno Sueciæ tradit Loccenius (3) tanti fuisse apud veteres illum honorem, ut non modo nobilibus benemeritis sed etiam Viris Principibus haberetur & conferretur. In Regno Angliae Henrici II. Engl. Reg. exemplum habemus, qui Anno 1170. Henricum filium militem fecit & statim in Regem ungi coronariq; præcepit ut est in Chronicis Gervasii (4) An. 1178. Gaufridum alterum filium Britannicum Ducem cingulo militari donavit. Testis Radulphus de Diceto. (5) Sed elegans institutum, ut in hujusmodi rebus fieri solet, superiori seculo propemodum evanuit. Qua de re non possum non affere, Hartmanni Mauri judicium. Carolus V., inquit, postquam coronatus gladio divi Caroli prægravi creavit plurimos equestris ordinis Viros variarum nationum, summa cum solennitate. Horum perpauci Germani fuere, qui hoc decus per hostium stragem demereri malunt, atque in ponte Tiberino splendissimo ordini initiari magis pulcrum atq; egregium putant: desierunt Germani hunc ordinem magni facere, quando viderunt humilibus sordidissimisque mercatoribus pretio adiutum ad amplissimum honorem patere: sicut ardoremque gloriæ plurimum hæc indignitas restinxit. Et forte ob hoc quidem ab Equestri Ordine deterrebantur, quod honorem equestrem titulumque ex lege equestri intra anni spatium statim post assumere illo tempore creati cogantur, alias ni se proEQUITIBUS gerant soli imaginarii equites futuri. Insuper quamvis ab antiquo nonnisi nobiles admittebantur, ordinariq; solitum, ut quibus initiari huic ordini votum atque mens esset nomina atque cognomina sua descripta Magistris equitum traderent. Hac tamen tempestate, in tantâ diverlarum gentium turbâ, plurimi non sponte sed aliorum impulsu, inviti sive temerè ad Cæsarem delati flexis genibus dorsum gladio submisere, quorum multis bene consultum foret, si cum iectu equestri censum quoque equestrem accepissent. Atque ex his solennis illa in Le-

B 2 gibus

gibus & Scriptoribus Germanicis distinctio (5) nobilium in  
Ritter vel Knechte ut puto, manifesta est.

- (1) Nic. Burgund. *l. i. Histor. Bavaric.* circa fin. add. A. apud D. Eyben. c. IX. El. feud. §. 11. & seqq.
- (2) V. Auth. magni Chronic Belg. apud Pistor. in script. Germ. p. 244. add. Goldast. tom. 3. *Constit. Imperial.* p. 400.
- (3) Loccen *III. Antiquit. Sueo Gothic.* c. 7.
- (4) Gervais. in *Chronic.* col. 1412.
- (5) Rad. de Diceto *Imagin. histor.* col. 608.
- (6) Hartm. Maur. *de Coronatione Caroli V.* inter scriptor. Germ.
- (5) V. præ exercis D. Clozium in *dissert. de titul. honorific.* c. 9. §. 2.

### §. VII.

Fuit autem Nobilitas olim, in Germania seminarium præcipuarum dignitatum, quorum adhiberi potest liber summi Jcti D. Eybenii, *de titulo nobilis.* Sed decursu temporis fieri coepit, ut apud cœteros, qui non essent Duces, Principes, Comites, Barones, nobilis nomen resideret.

### §. VIII.

His ita positis, surgit definitio nobilis Germanici, cui Imperatoris autoritate, bonis plerisque assignatis, decus, multis insigni privilegiis, in prolem propagandi est concessum.



## SECTIO QUARTA.

### QUID FEUDUM NOBILE?

§. I. Feudi partitio in nobile & ignobile moribus Germanicis debetur.

§. II. Homonymia.

§. III. Definitiones aliorum.

§. IV. De-

§. IV. *Divisio in proprium & impro prium cum definitione.*

§. V. *Quid feudum ignobile.*

§. VI. *Quæstio prima. An bona rustica à nobili comparata nobilis feudi natu ram induant?*

§. VII. *Quæstio II. An feudum nobile à pri vato acquisitum acquirentem nobilitet?*

§. VIII. *Quæstio III. An Princeps Germania nobile feudum facere possit?*

§. I.

**N**emo ignorat feudum (ab effectu dicit D. Tabor, ab adjuncta qualitate D. Struvius) dividi in no bile & ignobile. Quæ divisio nusquam in jure feu dali occurrit; sed ex vulgo receptâ vernaculi ser monis consuetudine petita est. Nam quæ de Valvazoribus ma joribus minoribusve in usibus Longobardorum dicuntur, & ab Interpretis ad Germaniæ nobiles trahi solent, et si aliquando argumentum suppeditare possint, sumimâ tantum circum spe cione providendum est, ne universis Germaniæ feudis perpe tam applicentur.

§. II.

Feudum nobile etiam generaliter accipitur, ut comprehendat feuda regalia: Sed quia, ut ante dictum, nomen no biles iis ultimum tribui cepit, qui in specie tales dicuntur, hinc feudum nobile de his potissimum intelligitur. Atque ideo re

Etè pronunciat Wehnerus \* Certum esse ex communi usu loquendi appellatione der Rittergüter vel Echngüter comprehendi tantum feuda nobilia, non autem Baronias, aut alia feuda regalem dignitatem annexam habentia; & proinde privilegium concessum ad Rittergüter/ non posse extendi ad Baronias, Comitatus, aliaque feuda regalem dignitatem annexam habentia.

\* Wehner. voce. Rittergüter.

### §. III.

Quænam feudi nobilis sit definitio, maximè ambigitur. \* Vulgo definiunt, quod annexam habet nobilitatem, accipientem nobilitans: Alii ab his dissentientes, quod ab Imperatore confertur: ut cætera omnia sint ignobilia, quæ ab Imperatore proximis, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, dantur. Alii, quod à volente simul & potente accipientem nobilitare concessum est. Alii simplicius, quod nobiles obtinent. Alii aliter.

\* v. Rosenth. II. concl. 2. Vultej. I. 8. 16.

### §. IV.

Sed hæ difficultates facile, ut existimo, superari possunt, si distinguatur feudum nobile in proprium & improprium. Scilicet olim quidem tota ferme Germaniâ perpetuum fuit: Imperatorem & nobilem facere, & bona simul idonea dedicare. Sed inter tristissimos bellorum civilium casus, fatiscente Imperatoris autoritate, sàpe accidit, ut nobiles sub nexu feudalí possessa sibi velut propria haberent, mox tamen necessitate pressi vel Principibus rursus in feudum offerrent, vel feudis à Principum manu acceptis ad belli usus cum tota familiâ se auctorarent. Exemplo autem semel factò semper ulterius itum, & pro ratione loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, variè transformari cœpit feudum nobile. Ut hoc respectu redè asseruerit Rosenthalius, (1) ejus naturam ex loci cuiusque consuetudine estimandam esse. Feudum igitur nobile proprium est: quod nobilibus ab Imperatore ab usus militiae est concessum. Huic proximum: quod nobili (facto sc. ab Imperatore) à Principibus

cipibus vel aliis superioritatem territorialem habentibus simili lege est attributum. Nam Imperatori nobilitatis conferenda jus in toto quidem Imperio competit (2) sed bona etiam quæcunque lege aut conditione nobilibus addicere, nullibi Princibus est negatum. Unde jam facile intelligitur, feuda cœtra omnia esse impropria: quod observari utile est; nam ubi conjecturæ vel mores loci alio non ducunt, res ex proprio feudi nobilis ingenio æstimanda venit.

(1) V. Rosenth. 2. concl. 2.

(2) V. Lampad. de Rep. Rom. Germ. l. 3. c. 13. §. 6. Limn. l. 6. c. 1. num. 36. & seqq.

### §. V.

Eodem modo feudum ignobile seu Burgense, Baurn- und Schupff-Lehen considerari potest. De quo, quoniam extra propositum nostræ dissertationis est, nolumus plura.\* His bene cognitis facile erit respondere ad controversias, quæ ob differentes J. Ctorum sententias difficiles putantur.

\* V. Wehner. Voce Schupff-Lehn. Besold. lit. A. num. 19. lit. B. n. 95. lit. S. num. 54. Speid. lit. B. num. 19. Carpzov. p. III. const. 28. def. 5.

### §. VI.

Primum queritur. An prædia seu bona rustica, adeoque servitiis & oneribus obnoxia, à nobili comparata fiant feuda nobilia? Negatur, si de propriis sermo est; nam destinatio ejus qui summam aut saltem analogam potestatem habet requiritur. (1) Aliud tamen usu invalescere potuit. Ita refert Mevius. (2) Ordinem equestrem Brunsvigæ ab antiquo privilegium obtendere, quod prædia ab ipsis acquisita etiam nobilia fiant; sed tamen controversiam adhuc pati. Exempla alia adducit Caspar Lerchius. (3)

(1) V. Struv. cum allegatis c. 3 §. 8. num. 3. Erhard. de oper. rustic. cum aliis legat. §. 21. Klock. de contrib. c. 14.

(2) Mevius IV. Dec. 106. num. 1. adde p. III. Dec. 181.

(3) De ordin. equestr. art. 2. p. 180. & seqq.

### §. VII.

Queritur secundò, an feudum nobile à privato acquisitum acquirentem nobilitet? Negatur de feudo nobili proprio.

prio, quo pertinet texus Juri Saxonici: Es erhöhet nicht des Manns Schild noch seinen Adel denn Fahnenlehen ob ihm das geliehen wird. c. 21. *in fin.* nam male sine dubio feudum nobile in genere definiunt (faciunt autem pleriq; (1) quod nobilitas sequitur, cum ex supra dictis satis constet, feuda nobilitati accessisse. Atque ita in Hassia nostra quotidie videmus, ubi privati bona equestria (Rittergüter) possident, ut tamen nihil nobilitatis in ipsis tali possessione transeat. Potuit tamen consuetudine aliud induci, idque in Gallia olim in usu fuisse ex Claudio Espillio observat Limnæus. (2)

(1) V. Vultejus *d.l. ab emt add. Reink.* I. cl. 4. c. 14. §. 51. 52.

(2) Limnæus *com. I. addit. Iuris publ. l. 6. c. 1. num. 54.*

### §. II X.

Quaritur tertio, An Principes Germaniae feudum nobile conferre possint? Evidem feudum nobile maximè proprium est, quod ab Imperatore velut fonte dignitatem emanavit. Quo pertinent rationes allegatorum à D. Eybenio. (1) Sed cum Principibus aliisque Germaniae Ordinibus tributa imponendi & remittendi simulque militiam instruendi jus competit, non dubitandum, quin feuda nobilia possint efficere, quæ proximè accedant ad conditionem ab Imperatore collatorum: idque usu servatur (2)

(1) V. Eyben. *c. II X. Elect. §. 15. p. 176.*

(2) Vultejus *d.l. n. 17. Nolden de nobilit. n. 65. & seqq. n. 82. & seqq.*

### COROLLARIA.

- I. In emptione & venditione naturaliter se decipere licet.
- II. Arrha non est semper argumentum emptionis perfectæ.
- III. Arrha datio non facit, ut liceat ab emptione perfectâ recedere.
- IV. Venditor ad tradendam rem præcisè tenetur, nec præstanto interesse liberatur.
- V. Nulla haec tenus satis idonea ad faciendam fidem instrumenta allata sunt, ex quibus probari possit ius fidei à Friderico I. vel II. vel III. confirmatum esse.
- VI. Feuda quæ à filiis familias acquiruntur ad censum bonorum castrorum pertinere semper, vix probari potest.

F I N I S.

**ULB Halle**  
005 382 53X

3



Km





**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

7453. Q. D. B. V.  
DISSE R T A T I O  
DE 1681, 3a

FEUDO NOBILI,

Von  
**Kitter Lghen**

Quam,

P RÆ S I D E

JOH. NICOLAO HERTIO,

J. U. Licent.

JOHANNES FRIDERICUS  
de BOBENHAUSEN,  
Nob. Hass.

Publico eruditorum examini,  
Ad diem Iunii subjicit.

GISSÆ HASSORUM,  
LITERIS ACADEMICIS KARGERIANIS.  
Anno cœc LXXXI.

No. 60

